

B A

B. R. V.

805; 854A
INV. 130; 131

B A

B. R. V.

880; 912
INV. 132; 133

REFLEXIONES

IN

RESPONSUM

DOMINI RECENSENTIS VIENNENSIS
AD ANIMADVERSIONES

IN

RECENSIONEM HISTORIAE

DE

ORIGINE VALACHORUM

IN DACIA.

E

VALACHICO IN LATINUM

TRANSLATAE.

PESTHINI,
TYPIS JOAN. THOM. TRATTNER.

B. R. V.

880 A

Nactus *Responsum* Domini Recensentis *Vien-*
nensis ad Animadversiones *anonymi* aucto-
ris in *Recensionem* Historiae de Origine Va-
lachorum in Dacia, Budae anno 1814 typis
Regiae Scientiarum Universitatis Pestanae
divulgatas, Regio Revisori Librorum Va-
lachicorum *Budensi* in 22 punctis Vindobo-
nâ 15. Septembris a. c. transmissum, po-
stea quam illud cum praefatis Animad-
versionibus contulissem, operae existimavi
pretium, ut amore veritatis porro indagandae
meas reflexiones manifestem.

Sic orditur praelaudatum *Responsum* :
Qui tibi haec scribo, Vir Reverendissime, idem
sum, in quem tuae animadversiones Budae 1814
prodiere, cum abessem Parisiis et Oxonii. Scop-
pus mihi idem qui tibi, veritas; quare tantum ab-
fuit, ut animadversiones illas, ceteroquin huma-
nissime (ut decet quidem, sed raro fit) scriptas
aegro ferrem, ut potius summa cum voluptate per-
legerem. Dico humanissime, quia contradici as-
sentando vix potest. Age vero audias, si va-
cat, quid responderi possit ad animadversiones
illas.

Laudo D. Recensentem Animadversiones in suam Recensionem factas haud aegre tulisse. Practice novit D. Recensens, assentando vix contradici posse. Si quis praelaudatam Recensionem in Historiam de Origine Valachorum in Dacia diligenter perlegat, et fixis oculis intueatur, id omnino comperitum habebit.

Posthac sic progreditur D. Recensens. *Jam quoad praefationem ipse noveris melius me, exemplum Majorum, Orbis terrarum Dominorum, male docere obedientiam posteros minus felices, praestabat tacere, quam aut ridere videri miseris, aut seipsum subrisui praeberere.*

Quomodo intelligendum sit exemplum per auctorem Historiae de Origine Valachorum in Dacia praefationi insertum, satis clare docuit auctor Animadversionum. Si D. Recensens debita acrivia relegat ea, quae auctor Animadversionum de praedicto exemplo disseruit, uti emunctae naris vir, quive norit prudenter adjuncta contemplari; desinet recensionem repetere.

Deinceps D. Recensens ad memorata sui *Responsi* puncta descendit.

1. *Ad 1. ait, distinguo, Valachice scribendum pro indigenis; pro exteris, quousque nec lexicon, quo se juvent, dederitis, latine.*

Valachis opus esse suam litteraturam promovere, non sine aut condolentia, aut improprio haud una vice agnoscit D. Re-

censens. Unde antelatae distinctioni locus non est.

2. *Ad 4. Moldavi et Ungrovlachi sunt reipsa non minus servientes, quam vos, imo hoc infeliciores, quod servis, graecis, subsint, raros nantes in gurgite vasto nobiles, qui et ipsi nationem abnegant impudenter Ungaros se declarantes, non numero. Sed speremus et hic meliora.*

An Hungari, nobilissima gens, ideo quod Regem Germanum habeant, et Croatae generosi, quod Bano Hungaro, Imperatoris originis Germanicae, subdito, sive, ut termino D. Recensentis utar, *servo*, subsint, infelices dicendi? Verum quidem est, ab aliquo temporis intervallo in Moldavia et Valachia *Principes* non Valachicae, sed Graecae originis a porta Ottomanica constitui, eum vix aliter sperari posset, Moldaviam et Valachiam diu sub clientela Turcica retineri posse. Certo Valachi hodiedum malunt subesse domui Austriacae, quam Constantino-politanae portae. Ceterum, hi *Principes*, etsi originis graecae, tamen Valachici, non Graecanici, *Principes* sunt, ac splendidis juribus gaudent, ut pote creandi nobiles etc. etc. Certo, sicuti nulla nationum Christianarum moderni Imperii Turcici olim tanta magnitudine animi obstitit Turcarum armis, atque Valachi, sic nescio, quam hodie gentem Christianam Turcici Imperii

aeque felicem, ac Valachicam nominare queas.

Quod addit D. Recensens: *raros nantes in gurgite vasto nobiles*, vel intelligit de Moldavia et Valachia, vel de ditionibus Imperatoris Austriae. Si primum; recte dixit auctor Animadversionum pag. 5. D. Recensentem *ignorare conditionem Valachorum Moldaviae, et Valachiae Transalpinae*, quum ingens copia Magnatum et Nobilium sub nomine *Boeronum* in Moldavia et Valachia existat, nec alii praeter Valachos indigenas ibi nobilitate gaudeant. Si alterum; minus excusari potest ignoratio Recensentis *Viennensis* de rebus populorum Imperatori Austriae subditorum scribentis. Certo, si D. Recensenti fortuna obtigisset anno 1809. videndi in Transsilvania Insurgentes nobiles in suas turmas adunatos; facile perspexisset, an nobiles Valachi cedant numero nobilibus ejusdem Magni Principatus Hungaris. Aut saltem si ad intuendum nobiles Valachos Insurgentes, qui ex Marmatia, aliisque locis I. Regni Hungariae Transtibiscanis eodem anno ad castra commigraverant, excurrisset; procul dubio amans veritatis vir, a fundendo praedicto oraculo abstinuisset. Ceterum, D. Recensenti quae ipse non vidit pro non existentibus sunt (infra num. 19.); imo in re Valachorum quae ipse non vidit, tanquam certo non existentia (experientia docet) li-

berrime promulgat. Tam altas videlicet radices egit in animis exterorum mos quidvis contra Valachos citra indaginem scribendi, ut D. Recensens, etsi criticam profitetur, quin in hunc errorem relabatur, cavere non valeat. In rebus, quae cognitae non sunt, praestat silentio uti.

Non ambigo, quin D. Recensens per eos Valachos nobiles, qui abnegant nationem, Ungaros se declarantes, intelligat eos, qui sunt in Transsilvania et Hungaria. At ejusmodi perpauci sunt, ac gravi necessitate pressi faciunt; neque tam nationem, quam religionem orientalem, aut ritum Graecum, cui communiter addicti sunt Valachi, abnegant. Nonne inter Slavos innumeri sunt, qui propter suum utile abnegant nationem? Et Rutheni communiter, interdum etiam Ecclesiastici, se dicunt Hungaros, ac vel linguae suae pudet ipsos. Quod hac in re doleo, est, quod dominantibus in Transsilvania Principibus Helveticae Confessioni additis, qui omnem lapidem movebant ad inducendum universam gentem Valachicam, ut Helveticam Confessionem amplectatur, flos nobilitatis Valachicae ad religionem Helveticam defecerit. Unde ex eo principio, quod cum religione mutetur sanguis, pro Hungaris, qui ante desciverant, habiti sunt. Ejusmodi, siquis hodie appellet eos *Valachos*, excandescunt. Nam et hodie confun-

ditur sanguis cum religione, imo etiam cum ritu. Ceterum, an *crimen* est dicere se Hungarum? Nonne et Germanorum multi inter Hungaros recenseri ambiunt?

3. *Quod credis, te ex Eutropio docuisse, disciisti ex anonymo seculi X. fabulatore. Vide editionem quamcunque criticam Eutropii, vel Muratorium. Nec refellit me, justa ceteroquin censura et derisio ineptorum Slavicae gentis quorundam Scriptorum, iliacos intra muros et extra. Latini correctio linguae non sustinet oculum criticum; esset historice impossibilis. Ceterum subrisi de tuo in Rascianos animo equidem sum Carniolus, latini ritus.*

Praescindendo ab eo: an verba illa sint Eutropii, an alterius Scriptoris, quod et auctor Animadversionum praestitit pag. 9. dum attente considero rationem per eundem auctorem Animadversionum pag. 9. subjunctam, non possum non assentiri ipsius opinioni: olim quoque duplicem fuisse linguam Latinam, alteram in ore populi, in scriptis litteratorum alteram. Prima hauriebatur una cum lacte; altera ope Grammaticae, condisciebatur. Si unica fuit lingua Latina, eccur tam solícite, quod scite observavit auctor Animadversionum, veterum Romanorum Sapientes vel ipsa aurea aetate Latinae linguae inculcabant, urgebant, ut pueri Grammatica Latinae linguae doctrina imbuantur? Cur scholae grammaticales erige-

bantur? Cur Grammatici magistri conquirebantur, conducebantur, et liberaliter exolvebantur? Cur multi viri praeclari a grammatica arte laudibus efferebantur, ac ipsi *potentes* Romanorum ob grammaticam artem familiariter cum ipsis conversabantur, ac unde unde libros de grammatica arte tractantes sibi comparabant?

Inter Valachos, quia una est lingua eorum, doctissimi esse possunt, etsi nullam unquam Grammaticam Valachicam viderent, nedum didicissent. De qualibet re copiose dicere possunt; de quavis re docte ac nitide scribere possunt; ex ore vel ipsorum idiotarum nullus unquam grammaticus error elabitur. Novi adolescentem, qui ab infantia educabatur in Seminario Balasfalvae in Transsilvania, quive assidue cum Clericis conversabatur perpetuo Latine confabulantibus, quin ipse operam daret Latinae Grammaticae; imo nec legere Latine noverat. Is quidem ex auditu ita didicerat Latinam linguam, ut expedite eloqueretur omnia; sed ejus denique sermo scatebat grammaticis erroribus. Sic enim efformata est Latina lingua, nempe *correcta*, sive *litteratorum*, ut haud perfecte (quod etiam de Helenistica dicendum) condisci possit absque cognitione regularum Grammaticae. Haec certo fuit causa, cur olim quoque Romani pueros ad percipiendam Grammaticam adstringerent.

Unde dubitari non potest, olim quoque duplicem fuisse Latinam linguam, alteram communem, alteram litteratorum.

Occurrunt mihi verba M. Terentii Varonis, in opere de lingua Latina, ipsi Ciceroni dicato, quae sic habent: „Non enim „videbatur consentaneum, me eo in verbo, „quod finxisset Ennius, causam negligere, quod *ante rex Latinus finxisset.*” Ex his deduci posse videtur, quampiam mutationem, sive innovationem a Rege Latino inductam fuisse in veterem linguam Latinam; proinde verba per auctorem Historiae de Origine Valachorum in Dacia circa *correctionem* linguae Latinae a Latino Rege Latii factam, sive ea sint Eutropii, sive Scriptoris Seculi X. haud inter commentitias fabellas esse recensenda. Sic statuendum arbitror: correctioni linguae Latinae a Latino Rege Latii tempore initae societatis cum Aenea, et reliquis Trojanis datum esse initium; eandem posthac continuatam fuisse per doctos Latinorum usque ad aetatem, quae dici solet aurea Latinae linguae. Quomodo hoc factum sit, vide opinionem non vanam auctoris Animadversionum pag. 12 et 13.

Scio risum esse gaudium ex absurdo; novi quoque, absurdum esse, ut quempiam, quem non noris, reputes pro Rasciano, et Graeci ritus, cum is sit Carniolus, Latini ritus. At ego, tametsi ea, quae auctor

Animadversionum de Rascianica lingua disserit, perattente legi, ac relegi, nihil comperi, unde extundi valeat, eundem auctorem reputasse pro Rasciano, Graeci ritus, D. Recensentem. Unde inducor, duplex agnoscere *absurdum*, unum reale, alterum imaginarium, atque ex utroque aequae posse risum oriri.

Animum auctoris Animadversionum erga Rascianos non alium esse censeo, quam ut iis stimulos addat ad excolendam suam linguam vulgarem, ne, dum *ecclesiastica* Slovenica lingua (cujus epocham non ultra IX. Seculum statuo, nec credo hanc dialectum unquam in ore Slavorum fuisse, ac ipso etiam IX. seculo aliam fuisse vulgarem Slavorum linguam nullus dubito) ne, inquam, dum Slovenica lingua, seculo IX. e Russica, infesta ope Graecae Syntaxeos etc efformata gloriantur, vel ipsis Scriptoribus persaepe minus cognita; et populum, et Clerum in pristina ruditate, absque spe unquam eluctandi, obfirmant. Gratiae immortales *Georgio Rakoczi* I. Principi Transsilvaniae, qui linguam Slovenicam ex ecclesiis Valachorum *vi* exterminavit, et in perpétuum exulare jussit.

Litteraturam Rascianicam plurimum Episcopi, et Monasteria promovere possent. Quod si iis per se id agendi otium deest; sumtibus juvare debent nationales viros,

qui in id sese consecrarunt. Quam enim in rem meliorem exuberantes proventus sive Episcoporum, sive Monasteriorum, quam in litteraturam et culturam nationis insumi possunt?

4. *Caesarem legionibus suis non fuisse intellectum, praetor te, nemo facile credit. Alia plane est ratio Officialium et episcoporum de quibus loqueris.*

Ex praemissis num 3. ajo. Si lingua vulgari, sive communi, quam Caesar quoque more aliorum a sua nutrice didicerat, locutus est suis legionibus; certo non potuit non intelligi. At, si lingua *correcta*, quae ope Grammaticae addiscebatur, locutus est; quemadmodum non facile credi potest, omnes milites Caesaris caluisse linguam litteratorum Latinam, ita nec intellectum omnibus fuisse, statuendum est, nisi forte interpretatio subsecuta sit. prope uti hodie fit in hungaricis Regiminibus, dum Germani Officiales germanice loquuntur ad Hungaros, Valachos, Slavos. Credo ego, Caesarem saepe locutum fuisse ad suos milites lingua communi, tametsi posthaec verba Caesaris in Historiam *correcta* lingua conscriptam *correcta* lingua, uti fit, relata sunt.

5. *Causa, quod parum hucusque solliciti uerint Valachi de edendo lexico et grammatica est potius generalis illa, quia naturale tempus*

nondum venit, otium defuit miseris ad hanc rem sicut ad aliam litteraturam. Sed si vultis emergere, id in hodierno rerum statu praeprimis faciendum est, quamquam et sic res claudicabit, donec otium, idest Wohlstand ex constitutione politica meliori aufferit, ex hacque parte gratulor, quod et ipsi hungari incipiant concedere, vos fuisse ante se in his locis.

Ex iis, quae supra num. 3. indigitavi, satis perspicuum est, Valachos pro se nec Lexico, nec Grammatica opus habere. Luculento argumento sunt multi illi libri absque ope Lexici, aut Systematicae Grammaticae Valachice aut lucubrati, aut translati. Vide saepe citatas Animadversiones pag. 40. Lege item, si vacat, cum alios libros Valachicos, tum praeprimis Concionatorios. Si probe intelligas; saepe dubitabis, an copiosius, et ornatius ipsa lingua Latina correcta dici possit. Certo in Transsylvania exteri linguae Valachicae gnari admirantur parochos solius linguae Valachicae peritos, dum ad concionem dicentes audiunt. Atqui illi nec quid nomine Grammaticae veniat, norunt.

Valachos ob defectum mediorum ad promovendam culturam miseros esse, negari non potest. Ex parte Hungarorum in Imperio Hungariae nullum certo obstaculum ponitur promovendae culturae Valachorum; imo Magnates, aliique Hungari interdum

etiam operam in id conferunt. Nihil certo naturae magis consentaneum, quam ut nationes favente coelo jam excultae studeant culturae aliarum nationum minus felicium. Omnes enim homines aequae constant corpore et anima, intellectu et voluntate pol-
lent, atque ad Dei imaginem creati sunt. Proinde omnes nationes *naturaliter* pertinent ad magnam illam nationem *generis humani*; denominationes diversae singularum nationum *accidentales* sunt. Congruum ergo rationi est, ut omnes homines, non attenda illa accidentali denominatione, se uti fratres invicem diligant, et natio nationi in promovenda cultura, unde publica felicitas emanat, liberaliter succurrat. Id si natio quaequam praestet; docet se ad genuinam culturam eluctatam esse, et vere nobilem dici debere. E contra, siqui operam in eo collocant, ut aut suae, aut alienae nationis culturae obicem ponant; liquido manifestant, se adhuc antiqua barbarie teneri; et graviter contra naturam, communem matrem, cujusvis intellectum et voluntatem perfici jubentem, peccant. Ad promovendam culturam inter Valachos Banatenses, id imprimis necessarium foret, ut iis Valachi Episcopi praesint. Quid enim sperandum est ab eo, praecipue inter Valachos, pastore, cujus vocem non intelligunt ratio-

nales oves, prouti nec ipse suarum ovium vocem?

6. *Quae dicis de vocali in fine, valet de correcta lingua italica; Lombardi et Furlani nusquam habent, ergo corrui quodcunque inde argumentaris, in genere, qui firmum quid et undique elaboratum de Vlachica lingua voluerit dixisse, omnes filias linguae latinae, non solum prout ex hodierno usu scribuntur, sed etiam prout in populo vigent, et antea viguere, pernoscat necesse est, id quod vestrum nescio an quis possit de se praestare.*

Oportebat, situm regionis, et originem populi spectare. Gravius certo fallit, aut fallitur, qui ex Lombardica et Furlana dialecto molitur proprietatem antiquae linguae Italicae demonstrare, quam siquis genuinitatem Valachicae linguae e nonnullis limitum Hungariae, aut Russiae eruere, et linguae Slavicae puritatem a Carniolis aut Rascianis haurire niteretur. Dum per Carnioliam transivi miratus sum degenerem linguam. Ceterum, alii etiam Itali, cum primis poetae saepe elidunt ultimam vocalem, quin id moris officiat principio ab auctore Animadversionum circa desinentiam vocum praestabilito.

Quo melius haec intelligantur, repetenda sunt verba auctoris Animadversionum pag. 10. „Quid porro, inquit, ex primaeva „lingua Latii per correctionem demtum sit,

„quid eidem additum, tacent antiqui Scri-
„ptores. Haud autem ambigo, correctionis
„primigeniae linguae Latinae originem re-
„petendam esse à societate et commercio
„Latinorum cum Graecis; et primam mu-
„tationem opinor accidisse ultimae syllabae
„vocum: cujus opinationis hoc habeo argu-
„mentum. Non modo apud Italos, verum
„etiam apud Valachos, qui initio seculi se-
„cundi aerae Christianae ex Italia in Da-
„ciam exivere, omnes voces hodiedum desi-
„nunt in vocalem. Haud incongrue igitur
„argui posse opinor, apud veteres quoque
„Latinos ante initam cum Graecis arctiorem
„societatem omnes voces suae linguae de-
„siisse in vocalem. Siquis id inficiari velit,
„ostendat oportet initium consuetudinis Ita-
„lorum et Valachorum non ferendi conso-
„nantem in fine vocum. Quod cum nemo
„praestare possit, concludendum est, apud
„veteres quoque Latinos omnes voces vocali
„fuisse solitas terminari etc.”

Linguae Italicam correctam fuisse ad-
mitto. At peto, ubi? in libris? an etiam
in ore universae indoctae plebis amplissimae
nationis, ac diffusissimae linguae? Id sine
miraculo fieri potuisse, vix credi potest.
Certo correctionem linguae Italicae minime
attigisse *desinentiam* vocum, vel ipse usus
linguae Valachorum, qui multis seculis ante
invasionem Lombardorum in Italiam, et
ante

et ante *correctionem* linguae Italicae, ac post-hac, nullum commercium cum Italis colebant, exploratum facit. Hinc, desinentia vocum in vocalem apud Italos non *correctio- ni*, sed *naturae* linguae Italicae tribuenda venit.

Porro, si quis conjicere velit, in quibus sustinuerit *correctionem* lingua Italica; haud tutius id assequetur, quam ex lingua Valachorum, qui nunquam suam linguam corrigere moliti sunt. Vide *Dissert. de Origine Valachicae linguae ad calcem Historiae de origine Valachorum in Dacia*. Laurentius Toppeltinus, *Origines et occasus Transylvanorum* cap. 9. de *correctione* linguae Italicae sic scribit: „Existimo, antequam Dantes, „Boccatius et Petrarca ex Barbarismis Lon- „gobardorum, Gallorumve, et familiaris „Latini sermonis reliquiis, novam hanc Ita- „lorum, elegantem et pene divinam, com- „posuissent, Valachicam Italicae linguae, „per omnia similem fuisse.”

Quae de idoneitate ejus viri, qui quidpiam firmum, et undique elaboratum de Vlachica lingua voluerit dixisse, addit D. Recensens, haud absurde docet. Sed, dum dubitat, virum reperiri posse inter Valachos, qui iis dotibus polleat, quae ad quidpiam firmum et undique elaboratum de Vlachica lingua dicendum requiruntur, omnem

spem adimit quidpiam praeclari hoc in genere assequendi. Nam, inter exteros nullus unquam repertus est, nec facile existere potest, qui adaequate calleat Valachicam linguam, in innumeras dialectos partitam. Inter ipsos Valachos, etiam eruditos, perrari sunt, quibus omnes dialecti Valachicae linguae cognitae sint, ita ut dum qui sunt diversae dialecti audiunt vocabulum quodpiam alterius dialecti, negent esse Valachicum, ac suspicentur recens efformatum esse ex Latina litteratorum lingua. Gratiae tamen Coelo, quod hodie non pauci inter Valachos, non modo in ditionibus Imperatoris Austriae, sed etiam in Moldavia et Valachia etc. inveniantur viri et experti, et linguarum Italicae, Gallicae, Hispanicae, prouti et dialectorum Slavicae linguae etc. etc. periti.

7. *Quod de Graeca adstruis, pro-te, itidem minus vero est simile; semper in populo late diffuso dialecti emergunt. Nec cuiquam veterum unquam venit in mentem, linguam sibi formare pro libris diversam a populari, est haec propria hodiernorum ineptia.*

Mihi obtigit fortuna pluribus annis convivendi cum doctis Armenis, Syris, Arabibus, Coptis, Indianis etc. subinde etiam cum Chinensibus: quo medio non pauca colligere potui tam de modernis, quam de antiquis dialectis et moribus gentium. Quo

fit, ut non possim non praeberere assensum
iis, quae auctor Animadversionum pag. 13.
et 14. de Graeca, aliisque linguis opinatur.
Certo D. Recensens, si attente consideret
linguam Slovenicam, quae est in libris ec-
clesiasticis; facile pervidebit haud *propriam*
hodiernorum esse ineptiam, linguam *forma-*
re pro libris diversam a populari. Vide su-
pra num. 3.

8. *Caussa intimae cognationis italicae cum
vestra est potius haec, quod lingua olim romana
orbis romanus universus uteretur, tum et intimi-
tas illa propius visa apparebit sat extima, nec
alia quam aut gallicae, aut hispanicae quae iti-
dem ex romana ortae, immo extimior (sit
verbo venia).*

Linguam Romanam per universum or-
bem Romanum in *judiciis*, aliisque publicis
actionibus viguisse, imo et exterorum plu-
res, qui officia in Romano Imperio ambie-
bant, linguam Romanam condidicisse, ul-
tro admitto, cum constet, subinde a quibus-
vis in officio publico constitutis exactum
fuisse, ut linguae Romanae periti sint. Hinc
Claudius Imperator Graecum hominem La-
tinae linguae ignarum Magistratu privavit,
de quo sic scribit Suetonius in *Claudio*:
„Splendidum virum, Graeciaeque Provinciae
„Principem, verum Latini sermonis igna-
„rum, non modo albo Judicium erasit, sed
„etiam in peregrinitatem redegit.”

At omnes populos in orbe Romano olim lingua Romana usos fuisse, unde probabis? Audi Apollonii ad Vespasianum Imperatorem apud Philostratum in *Apollonio* lib. 5. cap. 13. orationem: „De his, *inquit*, loquor, „qui Magistratus accepturi sunt: hos enim „gentibus, ad quas gubernandas eos mittes, „accommodatos esse dico oportere; quod „fors patitur, ut qui Graece sciunt, Graecis praesint, qui autem Romane loquuntur, his praesint, qui eandem locutionem „habent. Cur autem id mihi in mentem „venerit, explicabo. Dum in Peloponneso „versarer, vir Graeciae praesidebat ignarus „Graecae linguae, ita ut nec ipse Graecos, „nec ipsum Graeci loquentem ullatenus intelligerent: errabat igitur ipse plerumque, „et in multis etiam fallebatur; socii namque et iudiciorum ministri pecunia corrupti perverse causas iudicabant, calumnias „in Praesidem velut in servum referentes.” Vides Praesidem *Seculo I.* Romane loquentem a Peloponesiis minime intellectum: quem locum nota propter sententiam infra num. 22. a D. Recensente circa originem linguae Valachicae latam.

Si lingua olim Romana orbis Romanus universus usus est; ecurrunt nunc per universam Moesiam, Thraciam, Macedoniam, Peloponnesum etc. soli Valachi loquuntur Romanam linguam? Ac vestigia Romanae lin-

guae ubi locorum deprehendes in Asia? Quo miraculo factum est, ut lingua Romana, opinione D. Recensentis tam vasta, quantum olim fuit Imperium Romanorum, tanta facilitate in oblivionem mittatur in regionibus mox enumeratis? Fuit tempus unquam, quo Graeci linguam Latinam recepissent, eamdemque locuti fuissent, utut per Romanos subjugati? Causa ergo intimae cognationis Italicae linguae cum Valachica non est, quod lingua olim Romana orbis Romanus universus uteretur, sed quod Trajanus, devicto Decebalo, infinitas copias civium Romanorum in Daciam transtulerat ad agros et urbes colendas. Vide Eutropium in *Adriano*. Horum Romanorum, qui linguam Romanam secum in Daciam intulerant, posteri sunt Valachi, qui, quoniam ingentis multitudinis semper fuerunt, nullis vicissitudinibus, quas perpessi sunt, effici potuit, ut suae originis linguam Romanam obliviscantur. Siquis probe gnarus linguae Valachicae ejusdem internam structuram attente, ac sine praejudicio consideraverit, eamque cum Italica contulerit; facile perspiciet, omnibus dialectis ex Romana lingua ortis Italicae Valachicam linguam affiniorem esse.

9. *Linguae Slavicae plures radices communes esse cum latina, graeca, germanica, persica, indica, res est nota, nec negatur a Slavo docto; indocti nec refellendi sunt.*

Latinas voces, quae insunt linguae Slavicae, ab iis Romanis, sive Latinis, quibuscum conversati sunt, hoc est, a Valachis mutuatos fuisse Slavos, naturale est, tametsi nonnullae apud Valachos jam oblivioni sunt traditae. Idque non mirum, quum inter ipsos Valachos etiam evenerit, ut quaedam vocabula vere latina in una dialecto retenta, in aliis nusquam audiantur; ac quaedam originis omnino Latinae Italicae jam prorsus incognita apud Valachos adhuc vigent; alia communia hodie habent Valachi cum Gallis, ac potissimum cum Hispanis. Hujusmodi sors etiam dialectos linguae Slavicae occupavit. Quasdam vero voces Latinas per Cyrillum, linguae *Slovenicae* auctorem, Graece et Latine apprime doctum, occasione versionis Sacrae Scripturae, et librorum ecclesiasticorum invectas fuisse in linguam Slavicam vix dubitari potest,

Quum communicassem olim quaedam vocabula *Zingarica* cum nationalibus Indis; comperi Indis esse *communia* cum Zingaris. Haud absimiliter quaedam voces sunt *communes* Zingaris cum Rascianis: forte per *Indicam* linguam haec coaluit affinitas.

10. *Quod Valachi non geminent consonantes, habent a Cyrillianis, non a romanis; scis esse id orthographiae Cyrillianaee proprium.*

Haec docuerat auctor Animadversionum pag. 15. „Non leve argumentum militat

„pro vetustate linguae Valachicae etiam id,
„quod Festus lib. 17. his verbis de veteribus
„Latinis notat: *Antiqui*, ait, *nec mutas, nec*
„*semivocales litteras geminabant*. Certo Valachi
„hodiedum nullam sive mutam, sive semi-
„vocalem litteram in sua lingua geminatam
„habent.” Constat [porro, geminationem
consonantium primum in Latinam linguam
ingestam fuisse per Ennium Graecae origi-
nis poetam.

Ajo igitur primo, falsum esse, ortho-
graphiâ Cyrilliana non geminari consonan-
tes, praesertim in nominibus propriis. De-
inde, ex eo quod Orthographiae Cyrillianae
proprium sit non geminare consonantes,
non video, qui sequatur, Valachos a Cyril-
lianis, non a Romanis habere, ut non gemi-
nent consonantes, nisi dicas etiam veteres
Romanos, ante aetatem Ennii ab orthogra-
phia Cyrilliana IX. Seculo aerae Christianae
nata id accepisse.

Sed, ad rem accedamus. Non est hic
quaestio de non geminatione consonantium
in scribendo, sed in pronunciando, atque
adeo in sermone. Certum vero est, Vala-
chos tam veteris Daciae, qui adhuc utuntur
litteris Cyrillianis in Ecclesia, post Conci-
lium Florentinum, teste *Cantimir* principe
Moldaviae, primum adoptatis, quam Trans-
danubianos, qui hodiedum horrent litteras
Cyrillianas, nullam unquam consonantem

in Sermone geminare. Hinc, etiamsi in libris ecclesiasticis interdum more Graecorum geminetur apud illos quaequam consonans, quod in nominibus propriis Graecis fieri solet, tamen Valachus *naturā* suae linguae non aliter nisi ut simplicem consonantem potest pronunciare. Haec proprietas linguae Valachicae longe antiquior est ipso Marco Tullio Cicerone, aliorumque Scriptorum Latinorum, qui post Ennium floruerunt, aetate. Hanc, inquam, tu proprietatem dices ex orthographia Cyrilliana in os plebis Valachicae, quae nunquam de orthographia Cyrilliana scivit quidquam, ingestam fuisse?

11. *Quod de bulgaris et albanis negas, cave ut cum ratione, ajunt enim omnes qui ibi fuerunt. Vide recentissimum Anglum Martin — Leake (London 1813). Videris ignorare summam articuli definiti cum pronomine intimitatem, et confundere. Certe giovarle non est articulus, nec dirla, farlo, nec consolargli, nec ullum horum et talium.*

Dum suppeditatur nobis occasio cum frequentibus mercatoribus, aliisque, ac interdum etiam ecclesiasticis Bulgaris et Albanis diu conversandi, confabulandi, haud induci possumus, ut exteros peregrinantes per Bulgariam et Albaniam de indole linguae Bulgaricae et Albanicae consulamus. Ejusmodi peregrinantes saepenumero immani-

ter falluntur, et fallunt. Exemplo esse potest *Carroni in Dacia* (Mediolani 1812). Dum quadam vice Sermonem instituerem de religione Graecorum, h. e. Non Unitorum cum quodam meo amico Ministro Helveticae Confessionis, ultro citroque habitis verbis, ait ille, Graecam religionem esse proximam Helveticae, quum Graeci aequae ac Helveticae religioni addicti careant *Lyturgia*; cumque ego subbrissem, is ad probandum suum assertum, quemdam Historicum Anglum, ex quo id hauserat, citat. Tunc non immerito indignatus, ajo: Quod Anglus ita de Graecis scribat, non miror; at te ferre non possum, qui, cum sis circumdatus ecclesiis Graecae Religionis Non-Unitae, mavis Anglum consulere de moribus Graecorum, quam has ipsas ecclesias tibi vicinissimas. Occurrit quoque Franc. Jos. Sulzer, qui pluribus annis habitavit Szász-Régenini in Transsilvania. Memini ab hoc viro negatum fuisse mihi, in Comitatibus exsistere nobiles Valachos, tametsi etiam in vicinitate Szász-Régen complures nobiles Valachi possessores sunt, e. g. in Kozmatelke, Szokol, Hétbük, Oláh-Bölkény, Orsova etc.

Fac, ut Bulgarus, et Albanus convertat in suum idioma hunc textum Graecum articulo *definito* gaudentem: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος.

actutum perspicies, quid de articulo *definito* apud Bulgaros et Albanos sentiendum sit.

Perperam infert D. Recensens, auctorem Animadversionum ignorare summam articuli definiti cum pronomine intimitatem et confundere, quum ipse potius D. Recensens a recto tramite aberret, dum *giovarle* etc. negat esse articulum. *Il, la, lo*, sunt articuli definiti apud Italos. Hi praefiguntur nominibus, dum sermo est de re certa: atque hoc est officium naturale articulorum-definitorum. Id tamen non obstat, quominus idem articulus interdum fungatur etiam officio pronominis, quin ideo desinat esse articulus. Apud Graecos quoque articulus definitus interdum fungitur officio pronominis relativi, quin hoc in casu negent Graeci esse articulum; sed potius eundem articulum distinguunt in *praepositivum* et *postpositivum* a diverso munere, quo idem ipse articulus fungitur. Verba auctoris Animadversionum haec sunt pag. 17. „Porro, non absque ratione opinatum fuisse auctorem, olim „apud Italos quoque articulos definitos, „quemadmodum hodiedum apud Valachos, „postponi fuisse solitos, vel ipse hodiernus „usus Italorum, quo saepenumero postponunt articulos definitos verbis, haud obscure declarat, e. g. *Dir-la, far lo, giovar-le, consolar-gli.*” Cum articulus definitus nunquam conjungatur cum verbis, nisi dum

officio pronominis fungitur; quisque videt in exemplis allatis articulos illos definitos pronominis officio defungi, proinde nullam sequi confusionem. Sensus auctoris Animadversionum hic est. Quum hodierno usu Italorum articulus definitus, dum officio pronominis fungitur, soleat interdum postponi verbis; ecurr suspicari non liceat, eundem olim etiam nominibus qua naturali suo officio fungentem postpositum fuisse, prouti hodie fit apud Valachos.

13. *Cum prodierit vestrum lexicon, excerpemus centenas, spero, voces quas romanas fuisse vix probabitis, nec refert, an fuerint, dummodo sint Valachicae, maleque video nonnullos vestrum causam etc. substituere pricinae! O curas hominum!*

Plurimae certo voces, quae hactenus reputabantur pro Slavicis ideo quod communes sunt Valachis cum Slavis, deprehenduntur originis esse haudquaquam Slavicae. Nosse item dignetur D. Recensens, vocem *pricina* pro causa per auctorem Concionum funebralium Albae Juliae in Transsilvania senescente Seculo XVII. impressarum, uti ipsemet auctor in Praefatione fatetur, in libros Valachicos invectam fuisse. Idcirco inter plebem Valachicam vix est audire illam vocem. E contra *causie* pro causa familiare est Valachis plebejis.

Sed quid obsesset etiamsi postliminio assumerent Valachi *caussa* etc? Si licuit olim voces peregrinas subintrudere in linguam Valachicam; ecurr nunc non liceret Valachis easdem eliminare, ac haereditarias linguae Romanae substituere? An olim D. Recensens, si exstitisset; refragatus fuisset, ne voces peregrinae, praecipue dum sermo est de Slavicis, in inclytam linguam Romanam, quam exteri Valachicam vocant, aut vi, aut commercio ingerantur? Si Cicero, aliique docti Romanorum ejusdem principii fuissent cum D. Recensente; an lingua litteratorum Latina tantopere soloecismis purgata ad nos pervenisset? Imo, si Latinus Rex Latii, aliique post eum Latini, et Romani principio D. Recensentis pertinaciter adhaesissent; vix aliam in scriptis veterum Romanorum linguam cerneremus, cum primis quoad internam structuram et desinentiam vocum, quam Valachicam.

13. *Valachica lingua cum sit romanae, non graecae filia, naturaliter Român formam accepit pro Ρωμαϊος, qui tu hic cavillaris?*

Dictum fuerat in Recensione Viennensi Historiae de origine Valachorum in Dacia absque ulla probatione, quod uberiori adhibito examine evinci possit, nomen *Romanus*, quod Valachi sibi ipsis tribuunt, ad illam aetatem referendum esse, qua post translationem Solii Romani in Thraciam

etiam Graeci se Romanos vocare coeperunt, prouti id etiam hodie faciunt. Ad quod sic respondet auctor Animadversionum.

„Certo Graeci, post translatum Solium
„Romanum Constantinopolim, et postquam
„huic urbi nuncupatio *Novae Romae* indita
„est, ac privilegiis veteris Romae donata,
„semper aemuli Romanis ansam arripere
„potuerunt, se *Romaeos* nominandi, Valachos
„vero, si antehac non fuerunt appellati Ro-
„mani; quid cacoethis incessere potuisset,
„dum omnino ab Imperio Romano avulsi,
„sub jugo barbarorum, capitalium hostium
„Romanorum gemebant, se se Romanos (no-
„mine barbaris semper exoso) compellandi.
„Sed etiamsi incolae Imperii Graeco-Roma-
„ni fuissent; Graeci, qui ne quidem incolas
„veteris Romae nomine Romanorum digna-
„bantur, an passi fuissent inelyto hoc no-
„mine, si antea gavisii non fuissent, se se
„insignire? Et, si Valachi Graecos imitari
„voluerunt; eccur se *Romanos*, et non *Ro-
„maeos*, prouti Graeci, nominarunt? dubi-
„tari ergo non licet, Valachos utpote Roma-
„nos cives tempore Trajani ex Italia inely-
„tum hoc nomen *Romanus* secum isthuc ad-
„vexisse.”

D. Recensens ad ultimum horum argu-
mentorum respondet; reliqua his diluit:
Qui tu hic cavillaris? Notum est, aemulatio-
nem ejus esse naturae, ut non sinat atten-

di ad proprietatem linguae. Sic Moscovitae sive Russi, quia aemulati sunt titulum *Imperatoris* Romanorum, non contenti suo Царь (Czar), quod idem significat, ac apud Romanos *Imperator*, Romanum vocabulum assumerunt. Pariter ergo Valachi, si Graecos aemulati fuissent; non Romanos se proprietate suae linguae, sed *Romaeos* more Graecorum nominassent. Ceterum perpende reliqua hac in re auctoris Animadversionum aragumenta. Laudo D. Recensentem *Carniolum*, quod bene didicerit pronunciare *Román* (Valachus), secus ac Josephus Carolus Eder, qui labio Saxonico ex *Román* frabricatus est *Rumuny*.

14. *A Latio derivat Vlachos, qui etymologiae leges ignorat.*

Dictatorie! Relegam verba Petri Katanstich, de Istro cap. 8. §. 4. „Nomen *Vlachorum* ante Cinnami tempora, qui XII. floruit saeculo, auditum non esse, ajunt: „neque tum primo exortum censeas. *Lattini* quippe, ex quo Illyris cogniti sunt, „ab antiquissima inde aetate *Vlassi* compellabantur, tanquam *Lassi* dicas, v. consona „Illyriis familiari praefixa, uti et compellantur hodie.” Quid naturalius, quam ex *Latio*, vel ex *Lati*-nis efformari *Lasi*? cui si praefigatur v consonans familiaris Illyris; fit *Vlasi*; hinc *Vlachi*, *Valachi*.

15. *Non solum latini ritus Slavi reliquos Slavos Vlachos vocant, et ego ipse Carniolus cum in Croatia circumirem, hisce auribus audivi et hisce oculis vidi homines, sed et Turcae; — sed nihil refert.*

Major est cultus, quo ego feror erga D. Recensentem, quam ut de se referenti non credam. Sed contra quem hic loci disputet, minime intelligo. Notaverat Recensio Vienneſis in Historiam de origine Valachorum in Dacia: ipsos etiam Graeci Ritûs Croatas, Slavicum populum, nominari Vlachos; proinde Ρωμαῖος (*Romaeos*) et *Vlachus* esse Synonyma. Ad quod sic reflectit auctor Animadversionum pag. 21. „Croatas, qui vocantur „Vlachi, non esse Slavicum populum, sed „veri nominis Valachos, ac olim vocitatos „fuisse Romanos, prouti hodiedum Valachi „se nominant Romanos, solide probavit auctor cap. 6. §. 12. quem videsis. Porro *Romanus* et *Vlachus* esse synonyma dubitari non potest; *Romaeos* vero et *Vlachus* esse synonyma, supinum commentum est. Nec enim *Romaei*, hoc est Graeci apud Slavicis gentes unquam audiverunt Vlassi; Romani vero cum omnibus Italis hodiedum apud Slavicos populos *Vlassi* vocantur. Vide Lucium de Regno Dalmatiae lib. 6. cap. 5.” Nuspiam hic legitur, solum a Latini Ritus Slavis Croatas Graeci Ritus vocari Vlachos: quod impugnat D. Recensens; verum doce-

tur, Croatas qui vocantur Vlachi, non esse Slavicum populum, sed reapse Valachicum.

16. *Quae pag. 21. ad bonum virum dicis, vide an non tu potius caeco amore ducare, si characterere Cyrillico inepte usi estis, vestra est haec culpa, non characteris, qui cum sit uberior, pluribus exprimendis sonis sufficit, quam latinus.*

Facilius addiscam duo signa nova, quam centum regulas de valore variabili veterum!

Oportebat D. Recensentem uti bonum virum, et promovendae litteraturae percupidum indigitare ea, in quibus Valachi characterere Cyrillico *inepte* usi sunt, quo possint hac *sua*, non characteris culpa liberari. Si uberior est character Cyrillicus, quam Latinus, ideoque pluribus exprimendis sonis sufficit; quare, ut taceam alia, Cyrillico characterere prius uti non potuerunt Valachi quam eidem adjecissent consonantem *υ*, qua Valachi Latino characterere utentes opus non habent?

Non est sermo de duobus signis novis addiscendis, sed de iisdem pronunciandis. Cum igitur illa duo signa nova, quae substituenda venirent modernis vocalibus *z* et *x*, impossibile sit plerisque exteris efferre; facilius certo discent *centum* regulas (ut hyperbolico termino D. Recensentis utar), quam pronunciabunt duo signa.

Id agunt Valachi in scribendo latinis characteribus, ut eliminatis vocalibus *z* et

ж, revocentur nativae vocales latinae, loca quarum sat malis avibus obtrusae fuerant ж et ж. Si exteri legant vocales latinas, quae vocalibus ж et ж substituuntur, more Latinorum; purius certo legent, quam Valachi, qui juxta praescriptas regulas pronunciant modernum sonum ж et ж. Utinam etiam Valachi in animum inducerent, more Latinorum pronunciare vocales latinas, vocalibus ж et ж substitutas; quod cum tempore futurum spero. Exteri deterreri non debent regulis hoc in genere datis, quum ab earundem observatione omnino absolvantur; proinde nec discere eas tenentur.

17. *Cum sim latini ritus, vides quam riserim de tua suspicione p. 27. 28.*

Vide supra num 3.

18. *Kony, rascianus qui bene novit vim alphabeti Cyrillici, scribet perfecte КОНЬ. ЦМРТ. potius ЦМЗРТ, quam ЦМЖРТ scriberet. Ц sonum non habet Slavus.*

Noti sunt mihi conatus nonnullorum Rascianorum in emendanda Orthographia Cyrillicana, et ad suam dialectum applicanda. Sed, quoniam vis characteris Cyrillici non ea est, quam tribuit D. Recensens, in diversa eunt. Felicius hi finem suorum conatum assequerentur, si characterem Latinum more aliarum Europae gentium assumerent. Cum ж Cyrillicum nullum sonum edat apud Rascianos, si ЦМЗРТ scriberetur;

z certo foret otiosum, proinde sive *empt* scribatur, sive *empt*, perinde foret.

Dum negat D. Recensens sonum consonantis *u* haberi apud Slavos, videtur velle excludere ê tribu Slavorum *Rascianos*, apud quos multa sunt vocabula sono *u* gaudentia: quorum nonnulla protulit auctor Animadversionum pag. 29.

19. *Gratias habeo de iis, quae docuisti p. 30, 31 eto 40. Sed non erat mei propositi, de tempore certare, hoc tantum dico, litteraturam romanam, vel seculi III. IV. V. non esse vestram. Quid tum si scripserunt (p. 35), nobis non visa? idem est, ac si non scripsissent.*

Quod ad litteraturam attinet, D. Recensens nudam suam negationem hic repetit. Auctor Animadversionum ex dissertatione de veteri litteratura Valachorum, pag. 33. sic docet: „Coloniae Romanae, hoc est, „prouti nunc loquimur, Vlachi vel Valachi, „dum Româ exiverunt in Daciam, iis litte- „ris h. e. Latinis usi sunt, quibus uteban- „tur reliqui Romani Romae, et in universa „Italia. Hoc vel ex ipsis Inscriptionibus „veterum Daco^l-Romanorum, quae inven- „tae sunt, et hodiedum effodiuntur in Da- „cia, praecipue in Transsilvania, et in Ba- „natu, evincitur. Post occupatam per bar- „baros Daciam, etsi cursus scientiarum non „mediocriter impeditus est, eo minus tamen

„potest supponi, hos Romanos eo delapsos
„fuisse, ut litterarum, quas eorum proavi
„Româ secum attulerant, obliviscerentur,
„quod nullam earum gentium, quae fuerunt
„in Dacia, legimus, bellum indixisse litte-
„ris.”

„Accedit, quod, cum Valachi illis etiam
„seculis fuerint addicti Christianae religio-
„ni, dubitari non possit, eosdem suis gavi-
„sos fuisse Sacerdotibus, proinde illis libris,
„sine quibus non celebratur Sacra Lyurgia,
„aut Sacramenta administrantur, instructos
„fuisse. Jam sic arguo: Illi libri vel fuerunt
„Graeci, vel Latini; nam litterae Cyrillicae
„seculo nono primum sunt inventae. Grae-
„cos fuisse, ne umbra quidem suspicionis
„apparet; ergo fuerunt Latini. Quod inde
„maxime comprobatur: Nam anno 458. Epi-
„scopi Valachorum Daciae Ripensis, sive
„Moesiae inferioris in Synodum congregati
„misère Leeni Imperatori Constantinopoli-
„tano Epistolam de nece S. Proterii Alexan-
„drini, et Concilio Chalcedonensi Latinam,
„quae Constantinopoli versa fuit in Grae-
„cum: quod argumento est, hos Episcopos
„ignaros fuisse linguae Graecae, proinde
„Latinis litteris unâ cum reliquis Valachis
„uti solitos.”

„Haec ejusmodi sunt, ut simplici con-
„tradictione, quae saepe esse solet inanis
„sine mente sonus, elumbari neutiquam

„possint. Luculentum est, veteres Valachos
„litteris Latinis usos fuisse, sicut reliquos
„Romani. Siquis neget hunc usum usque ad
„tempora Concilii Florentini continuatum
„fuisse, positive docere tenetur, per quem,
„ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quan-
„do abolitus sit. Qualiter vero post Conci-
„lium Florentinum interruptus sit primum
„usus Latinarum litterarum inter Valachos,
„exponit Demetrius Cantimir cum omnibus
„circumstantiis, quippe cui uti actuali Prin-
„cipi Moldaviae omnes anguli veterum ar-
„chivorum patuerunt.”

20. *De Anonymo Notario vide quae habet
Schlözer in Nestore.*

Vide Danielis Cornides Vindicias Anony-
mi Belae Regis Notarii, a I. Christiano En-
gel editas, auctas.

21. *Quae | p. 26. dicit de theoria, vide an
non sit culpa praxeos, si non nisi in theoria lau-
danda.*

Principia à D. Recensente Valachis ad
retinendam orthographiam Cyrillico-Vala-
chicam tradita in praxi esse linguae Vala-
chicae praejudiciosa, et commercio cum
aliis nationibus colendo contraria, abunde
confecit auctor Animadversionum, quem
vide pag. 21. etc.

22. *Non memini, me Vlachicam pro Semis-
lavica habere. Sed hoc nunquam efficietis, ut
non credamus esse romanam insitam illi quae per*

Thraciam tempore Seculi I. vigeat, testis est tota forma linguae, e. g. articulus, qua Romana caruit.

D. Recensenti quae ipse non vidit pro non existentibus sunt (num. 19); relate tamen ad Valachos etsi nunquam visa, aut videnda, si ea obsint Valachis, pro certo existentibus sunt. Unde constat, cujusmodi fuerit Seculo I. in Thracia lingua Romana, si eam ponas quoad *formam* ab ea, quae per universam Italiam eodem tempore vigeat, diversam? oportebat id certo nosse; deinde linguam Valachicam diligenter cum ea conferre; tum demum ad conclusionem descendere. Quum Valachi initio Seculi II. huc advenerint; volupe est è Valachica dialecto conjicere, qualis fuerit lingua Romana quoad *formam* per universam Italiam Seculo I. Hanc eandem per Thraciam, et per universum orbem Romanum inter *Romanos* vixisse Seculo I. nullum vestigium cerno, quo ad dubitandum propendere valeam. Vide supra num. 2. An per linguam Slavicam putas Seculo I. in Thracia mutatam fuisse *formam* linguae Romanae? An exstiterint Slavi Seculo I. in Thracia, aliis decidendum relinquo; Seculo VI. exstitisse in his partibus testatum reliquerunt Procopius, et Jordanes; ego ajo, articulum *definitum* neutiquam à Slavibus inventum esse in linguam Va-

lachicam, cum Slavica lingua prorsus careat hujusmodi articulo.

Si per linguam Romanam intelligis latinam *correctam*, verum est, eam Seculo I. caruisse articulo, prouti et hodie caret, et olim carebat. Si intelligis vulgarem; id probandum erat. Certo, si articulum linguae Valachicae Seculo I. in Thracia primo ortum fuisse ponas; etiam vastissimam Italiam, Galliam, Hispaniam, quae pariter articulo, ex eadem radice profecto, utuntur, Thraciae debere originem hujus suae linguae proprietatis, inferas necesse est: quo quid absurdius?

Vale, et si veritatis amantem me sincere, credis ut mihi sum conscius esse, favere mihi perge.

D. Recensentem veritatis amantem esse, non dubito; crisim ejus in repetendis opinionibus aliorum adversum Valachos praejudicatis requiro.



